DEO OPTIMO MAXIMO VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE MERCVRII XVIII. MARTII,

M. PETRO HOMMETZ, Doctore Medico, moderatore.

914

An ſingulis menſibus repetita ſemel ebrietas ſalubris ?

NATVRÆ vitam debemus; vitæ ſuauitatem & diuturnitatem Arti Medicæ : quæ naturâ ſæpè ipsâ ſuperior, deficientem ſuſtinet, errantem dirigit & emendat, nihil aut malè operanti mirâ ſuccurrit induſtriâ, eandem ſimilibus & diſſimilibus fouet ac tuetur, vt ~~curat~~ iuuat contrariis. Conſeruandæ vitæ ſpes omnis, poſita eſt in rerum non naturalium vſu tempeſtiuo, mediocri, ordinéque à diuino dictatore præſcripto, quibus corpus diutiſſimè ſanum, Tithoniæ ſenectuti, fatóque tandem reddimus. Sed inter illas, cibi & potus potior habenda ratio, cuius vtriúſque par eſt neceſſitas. In perfectè ſanis, naturæ ferè totum negotium conceditur, à quâ ſumendorum tempus expectatur : aliis, modum viuendi ſalutarem & idoneum præſcribere oportet. Neque ſemper appetentiæ fidendum, quæ non rarò maior vel minor eſt, quàm optanda ſit. Cibi penuria, fame; ſiti, potus inopia percipitur. Priorem ſedat alimentum, ex ſolis viuentibus depromendum : poſteriorem aqua, vna neceſſarius, communiſſimus & omnibus ſalubris potus, nullo ætatis, temporis, ſexúſque diſcrimine : cuius tanta vis ad ſanitatem & morbum, vt illius longè grauior & nocentior, quàm aut aëris aut alimentorum mutatio, iure habeatur. Optima quæ palato grata & iucunda, nullius coloris, ſaporis, odoris particeps, citiſſimè permeat & ſtomacho nullum negotium faceſſit; inter omnes fluuialis. Aliæ potionis ſpecies, non minùs explendæ fami quàm ſedandæ ſiti ab arte excogitatæ, plurimùm voluptati, minimùm neceſſitati ſeruiunt : quarum propterea vſus, ~~fere abuſus eſt~~, cui Medici prudentiâ, modus adhibetur ſalubris, vt omnis coërceatur intemperantia : quæ vel ſemel admiſſa non mediocriter nocet, repetita grauius malum & morbos inſanabiles parere conſueuit.

MORTIS immaturæ ſed meritæ parens gula, omni bello peſtéque ſæuior, eò plures occidit, quò furtim ex inſidiis, inter epularum delicias, nihil tale cogitantes, aut metuentes ſed incautos adoritur: robúrque ab alimentis pluribus, diuerſis malè quæſitum, deiicit & reſoluit. Et licet victus tenuis & exquiſitus ſit paulò pleniore deterior; ~~ſaniſque ac robuſtis~~, tam exactam ſancire victus legem iniquum videatur, quam variam experiri non diſplicet : cauendum tamen à repletione, quæ naturæ ſemper inimica & grauis, primæ coctioni vim infert & labem inurit poſterioribus vix eluendam. Satius eſt cibis non expleri, ſed eos bis quòque die, lautiore tamen cœnâ, ſumere ; carnes piſcibus anteponere, præparatione magis vti neceſſariâ quàm iucundâ, quâ fami ac ſiti lenocinia quæruntur & irritamenta : liquidos concoctúque faciles præcedere, ſed conſuetudinis habitâ ratione, quæ paulò deteriores minùs graues facit. Neque ſemper omnia ſana ſanis. Qui ſecus fecerit temeritatis pœnas luet, durámque variâ ægritudine mulctam feret. Ad potum maiores & potentiores pleríſque illecebras voluptas ſuggerit, eiúſque indigentiam, natura longè fert acerbiùs : hauſtus ille tamen vt facilè implet, ita nihil in corpore imperuium reperit, & quaſcumque vires nactus eſt, intimis viſceribus ac medullis, inſinuat & recondit : quibus ſenſim deprauatus animus, felicitatem quærit ac delicias vbi laboris & infortunii metus omnis ſubeſt.

HINC voluntaria iſthæc dementia & inſania, quam ebrietatem appellamus. Eſt autem actionum animalium maximè principum læſio, ex recèns ingeſtæ potionis alimentariæ, vapore & viribus excitata. Putà Vini, Pomacei, Cereuiſiæ; quæ dum faucibus & linguæ arrident, ſenſumque ſuauitate titillant, fumis nebuloſis copiâ, qualitate, craſſitie, motúque incondito & inordinato ſæuientibus, cerebrum & mentem percellunt ac feriunt : hinc χραιπάλη etiam belluis ignota; quam edormire & exhalare fas quidem, nullis autem lacrymis quanquam tum vltrò fluentibus expiare. Non omnes peræquè inuadit, neque ab omnibus æqualis. A Vino citior, acutior : à Pomaceo, diuturnior : aliàs propter eximias quas obtinuit in tuenda ſanitate, vitáque prorogandâ vires; non cedit Pomona Baccho: à Cereuiſiâ omnibus fermè naturis noxia, deterior. In bilioſis liquor vini amiciſſimus, rixas, contentiones, mouet : ſanguineos ad ineptias, iocos, venerem extimulat : melancholicis, terrores incutit & fletus ciet : vt pituitoſis ſopores & veternum. Ita ſe ad potatorum genium componit, eorúmque induit mores ad tempus, vinum πολύμορφον : in quo veritas, Bacchi tripode deſignata; & libido, Pyrithoi nuptiis comprobata; vbi autem ſumma ſunt omnia, hebetudo ac ſtupor animi & corporis atque omnium facultatum clades, quam plerumque labor, inedia, iracundia, præferuida viſcerum intemperies, accerſunt vel adaugent : vt ante paſtum meri potus ſi præſertim non paulatim & quaſi rorantibus poculis, ſed affatim infundatur. Qui capite ſunt exiguo, denſiore, cerebro calente vel infirmo, vt μεγαλοκόιλιοι, vino citius obruuntur, an albo, quàm rubro? an muſteo, quam vetere vehementius ? Neque tamen ſoli cerebro vis infertur, nulla facultas ſuo damno caret, nulla pars libera manet & immunis, vbíque caſus, vbíque virium exolutio, à quibus nulla ſperanda ſanitas. Quid ſi iteretur menſibus ſingulis, ille ſcyphorum conflictus ? equidem coniurare in ſuam perniciem, Chriſtiana lex vetat & ciuilis : & perpauci à nimia potatione bellè habent.

POTVLENTORVM vſus ſalubris, vel tuendam ſanitatem ſpectat vel reſtituendam : vtrobique exceſſum fuge. Nihil ad flammam oleo accommodatius, quo redundante etiam lucerna extinguitur : quodque nimium naturæ infenſum, quæ nec ſatietatem nec famem ſine damno ſuſtinet ; grauiore tamen vbi multa & repentina fit mutatio. Repletio ea moleſtiſſima & periculoſiſſima, quæ plures partes obſidet ac labefactat, calorem natiuum obruit, auocat, rapit, cunctatur diutiùs, nec facilè citóque elabitur : qualis illa eſt, ex qua ſequitur ebrietas, cuius effera vis & effrænata, funeſto morborum ſatellitio, in ſontes ſæuit : hinc Cardialgia, Anorexia, Ephialthes, Obſtructiones contumaciſſimæ, hepatis inflammatio & atonia : Febres, Tuſſes, Cephalalgiæ, Deliria, Aphoniæ, Comata, Conuulſiones, Paralyſes, Epilepſiæ, Apoplexiæ, Arthritides, mors denique ipſa dum humores fermentat, cuncta exurit viſcera, labefactat, tabefacit. An fortè medicamento ſingulis menſibus ſemel vſurpando ſalubrior ingluuies, quæ ſcorpionis in morem proprium virus proliciendo, alienum expellit? caue credas. Quòd pleríque medicamentorum vires promiſcuè experiri audeant, malè eſt: quòd his frequenter aſſueſcant, certíſque periodis, deterius: peſſimè, ſi nullus humorum, temporis, loci, perſonarum, delectus habeatur : nefas, grauioribus morbis leuiores elidere & vacuationibus ſymptomaticis irritatâ naturâ, criticas anteuertere & ſalutares. Suus cuíque remedio íſque definitus agendi modus, nullus ebrietati & crapulæ, quæ naturæ facultates conuellit ſemper, cuius & ſupplicium eſt, violento & præcoci fato non rarò infame.

NIHIL tam iucundum aut ſalutare, quod in prauos vſus pernicioſè flecti non poſſit, & planè periculo careat. Vbi vitæ fomes, ibi malorum omnium & lethi ipſius ſeges reperitur. Vino ſi quis probè vtitur, quid ſuauius ? quid ſalubrius ? ab eo robur & voluptas; Alexiterium illud eſt & Pæonium pharmacum quóuis auro, margaritis, lapide Bezoartico, cæteríſque cardiacis longè potentius: mirandum Nepenthes. Quanquam nonnullis in vindictam & pœnam conceſſum, quos dum alacriores, breuiorem vitam facit : pueris, adoleſcentibus, bilioſis, putum venenum, quaſi à Dipſade aut Tarentulâ inflictum. Morbis calidis & ſæpe frigidis, funeſtum : noxium vbique, maximè verò ſi largiorem potum ſequitur ebrietas, cunctis metuenda, mulieribus tamen pernicioſior quàm viris. Cuius remedium fruſtra in corollis, vnguentis, pulmone veruecino, hirundinum roſtris, tabaco, croco, pumice, Amethyſto lapide & Dionyſio quæres. Iuuare creduntur Raphanus, Braſſica, amygdalæ amaræ, oleum, ſaccharum, vinum ipſum, licet anceps præſidium: Caput minùs ferit & tentat dilutum, percolatum, refrigeratum, non tamen innoxium. Vnicum eſt, idque certum & indubitatum temulentiæ prophylacticum & amethyſtum, inculpatæ valetudinis amor & ſobrietas : quâ nulla aduerſus Bacchi illecebras firmior armatura, nulla ſecurior ; quæ eſurialibus feriis naturam fatiſcentem & penè aſſiduæ repletionis vulneribus languentem curat. Sic vnius diei, quouis menſe, indictum Veſpaſiano ieiunium, mirificè profuit. Caue interim à picatis vinis, vel calce, ſulphure, ſpiritu vini, Moſcho, Ambaro, aromaticis, & ſimilibus medicatis, variâ liquorum permixtione confuſionéque nocentioribus, quibus cerebrum facilè afficitur, & reliquæ partes contabeſcunt. Multò celeriùs cum ad nocentiſſimam qualitatem accedit & copia : quæ fœda vini proluuie, nihil non maculatum relinquens, & à rationis imperio mortales procul amouens, dementes facit, infráque pecudum ſortem abiectos : hinc languor, ſtupórque ſenſuum omnium & propè irreparabilis virium iactura & caſus; vbi potiſſimùm recreandæ naturæ, nouâ ebrietatis acceſſione, occaſio præripitur : ac ſingulis menſibus recurrit οἰνοφλυγία, non ſolùm intemperato fatalis, conuiuentibus noxia, ſed poſteris quoque pernicioſa, cum proles, ſi qua ſuſcipitur, ſecundâ valetudine gaudere non poſſit.

Non ergo ſingulis menſibus repetita ſemel ebrietas ſalubris

Proponebat Lutetiæ PETRVS MORIAV Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XLIII.

hygi